



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

41. Wencleslai Imperatoris Luxemburgi, Anno MCCCLXXXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

41.

*Wenceslai Imperatoris Luxemburgi Anno  
MCCCLXXXIV.*

**W**ENCESLAVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiarum Rex. Notum facimus tenore presentium vniuersis, quod oblata nuper Serenitati nostrae per honorabilem & Religiosos Abbatem & Conuentum Monasterij Sancti Maximini extra muros Ciuitatis Treuirensis ordinis Sancti Benedicti, deuotos nostros dilectos supplex petitio continebat. Quatenus sibi quasdam litteras infra scriptas super iuribus, libertatibus & gratijs per praedecessores nostros, Romanorum Imperatores & Reges, & specialiter recolendae memoriae, quondam Serenissimum Principem Dominum Karolum, tunc Romanorum Regem, Genitorem nostrum charissimum ipsis & Monasterio ipsorum concessas & datas ratificare, autorizare, innouare & confirmare benignitate solita gratiosius dignaremur, quorum quidem priuilegiorum trium videlicet tenores sequuntur in haec verba. Karolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiarum Rex ad perpetuam rei memoriam &c. Nos itaque ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, nec non intereratæ Genitricis eius Virginis Mariae, nec non diuini cultus augmentum dictorum Abbatis & Conuentus supplicationibus rationabilibus fauorabiliter annuentes, supra scriptas litteras, & omnia in eis contenta, in omnibus suis punctis, sententijs, clausulis & articulis, prout de verbo ad verbum expressantur superius, animo deliberato, maturo Principum, Baronum, & Procerum fidelium nostrorum accedente consilio, prout prouidè & rationabiliter processerunt, ratificamus, autorizamus, innouamus, & presentis Scripti testimonio de certa nostra scientia, nec non Regiae potestatis plenitudine confirmamus. Decernentes expressè, & hoc Regali statuente edicto, vt praescripta priuilegia, & omnia in eis contenta, vt praemittitur, perpetuò obtinere debeant roboris firmitatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hoc nostrae ratificationis, authorizationis, innouationis & confirmationis paginam infringere, aut ei ausu quouis temerario contraire. Si quis autem contrarium attemptare praesumpserit, indignationis nostrae grauissimae aculeum, & poenam in supra scriptis priuilegijs contentam: & insuper ad nostrum arbitrium infligendam, cuius medietatem aërio seu fisco nostro Regio, residuam vero partem praedictorum Abbatis, Conuentus & Monasterij vsibus applicari volumus, se nouerit irremissibiliter incursum, praesentium sub regiae nostrae Maestatis Sigillo testimonio litterarum. Datum Luxemburgi Anno Domini Millesimo Trecentesimo, octuagesimo quarto. Indictione VII. Sexto Idus Augusti. Regnorum nostrorum anno Bohemiae vicesimo secundo, Romani verò Nono.

42.

*Wenceslai Imperatoris alterum eodem die & loco Datum.*

**W**ENCESLAVS DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiarum Rex. Notum facimus tenore presentium vniuersis, quod oblata nuper Serenitati nostrae, per honorabilem & Religiosos Abbatem